



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Decano Astoricensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

indignum, tamdiu ei vitæ necessaria congruè subministres, donec per te in Zamoren. Ecclesia vel in alia fuerit competens beneficium ecclesiasticum afsecutus; sciturus pro certo quòd si per examinationem illorum fuerit repertus idoneus, & tu ei juxta mandatum nostrum neglexeris providere, cum hoc nobis per eorum literas innotuerit, ad id exequendum te per distinctionem ecclesiasticam compellemus. quia sicut nolimus injusta præcipere, sic cum justa præcipimus, volumus efficaciter exaudiri. Datum Laterani III. Nonas Aprilis.

DECANO ASTORICENSI.

*Epist. 77.*  
Vt sic decessorum suorum iuribus contentus, nec gravet suum Capitulum.

Dilecti filij Capitulum Astoricensis nobis intimare curarunt quòd cum tu olim ad apostolicam sedem accedens, assereres dignitatem Decanatus de novo fuisse in Astoricensi Ecclesia institutam, & ideo in ambiguo remanebat quid ad tuum officium pertineret, rescriptum ab eadem sede super hoc reportasti quòd in hac ambiguitate Astoricensi Ecclesia consuetudinem suæ Metropolitane sequeretur, ubi ex speciali consuetudine Decanus multis se gaudet privilegiis decoratum. Vnde quia eadem Astoricensi Ecclesia dignitatem Decanatus à longis retro temporibus noscitur habuisse, licet qui eo fungebatur honore promoveretur aliquando & destitueretur pro Episcopi & Capituli voluntate, nec Decani sed Prioris nomine vocaretur, secundum consuetudinem ferè omnium Ecclesiarum Hispaniæ, quæ tunc temporis ibi vigebar, cum etiam alius Decanus ibidem fuerit institutus, Decanus re ac nomine appellatus, literas illas per falsi suggestionem & suppressionem veri asserunt impetratas; nec te debere per illas aliud commodum reportare, sed carere potius taliter impetratis. Eapropter per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si vera sunt quæ dicuntur, eo jure illaque potestate, quibus antecessores tuos usos fuisse constiterit, maneat omnino contentus; nec amplius de cetero in præjudicium Episcopi vel Capituli præsumas exigere; immo si quid fortè amplius recepisti, penitus id in pace dimittas. Quòd si fortè nostro mandato acquiescere nolueris, noveris nos ven. fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Abbati de Carracedo & Decano Zamoren. injunxisse ut te ad prædicta mo-

neant & inducant, & si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, justitia mediante compellant. Datum Laterani vj. Kalend. Aprilis.

*Illis scriptum est super hoc.*

MAGDEBURGEN. ARCHIEPISC.

EX parte Pragen. Ecclesiæ in audientia nostra fuit propositum quòd cum H. quondam Pragen. Episcopus fuisset viam universæ carnis ingressus, D. Clericus in eorum Ecclesia præter electionem Capituli per laicalem potentiam se intrusit, licet nec mores nec vita ei ad obtinendum tantum officium suffragentur. Volentes igitur eidem Ecclesiæ paterna sollicitudine providere, fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus quatenus ad locum idoneum evocatis qui propter hoc fuerint evocandi, si tibi constiterit de prædictis, memoratum Clericum ab eadem Ecclesia omni contradictione & appellatione postposita prorsus amoveas, & ab officio beneficiòque suspensum, ad nostram non differas præsentiam destinare. Canonice etiam Pragen. eligendi sibi Pastorem idoneum juxta formam canonicam concedas auctoritate nostra liberam facultatem. Sciturus nos dilecto filio nobili viro Duci Boëmiæ per apost. scripta mandasse ut tibi super his viriliter & potenter assistat, & prædictam Ecclesiam non patiat ab eodem Clerico teneri diutius occupatam. Datum Laterani vj. Idus Aprilis.

*Epist. 78.*  
Vt à laicis intrusum amoveat, aliumque Pragensem Episcopi copiam canonicè eligi curet.

*Canonice etiam ipsius Eccl. scriptum est ut illo amoto per Archiepiscopum, ad canonicam electionem procedant.*

AVXITAN. ARCHIEPISCOPO.

QVANTO modernis temporibus, inimico humani generis suggerente, malitia hominum solito plus excrevit, tanto sollicitiori diligentia nos providere oportet ut ea quæ in Ecclesia Dei minus ordinatè & contra normam ecclesiasticam attentantur, deliberatione provida corrigantur. Ad audientiam siquidem apostolatus nostri pervenit quòd Clerici tuæ provinciæ nimis aviditatis fervore succensi, in Ecclesiis, quas propter insufficientiam suam, cum sint minus idonei, per Prælatos obtinere non possunt, per seculares potestates quasi vio-

*Epist. 79.*  
Vt Clerici qui se à laicis intrudi curant, puniantur.